



# The Holy See

PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **BUEAËNSIS**

(**BAMENDANAЕ**) \* A DIOECESI BUEAËNSI QUAEDAM TERRITORIA DETRAHUNTUR ATQUE IN DIOECESIS FORMAM REDIGUNTUR, «BAMENDANAЕ» COGNOMINANDAE. Tametsi Christianarum veritatum expositio in Ecclesiae sanctae administratione principatum obtinet, cum sit Christus veritas (cf. *Io.*, 14, 16) cuius cognitio mortalia pectora a malo liberet (Cfr. *ib.* 8, 32), tamen recta finium dioecesum dispositio et sapiens ceterarum rerum temperatio, quae externam Ecclesiarum faciem respiciunt, quam christianam causam adiuvent neminem sane latet. Quam ob rem, cum Sacra Congregatio pro Gentium Evangelizatione, ante auditio venerabili Fratre Ernesto Gallina, Archiepiscopo titulo Trebiano eodemque in Republica Cammaruniensi Apostolico Pronuntio, in earn sententiam discesserit ut in ea terra nova excitaretur dioecesis, Nos re summa consideratione reputata iisque auditis quos oporteret, haec decernimus atque iubemus. A dioecesi Bueaënsi districtus civiles, quos dicunt, eorum lingua cognominatos: Bamenda, Gwofon, Wum, Nkambe, Nso detrahimus eosque in formam dioecesis redigimus, ab urbe principe *Bamendanae* appellatione distinguendae, clericu dioecesani curls atque sollicitudinibus committendae. Eius urbs princeps atque Episcopi domicilium erit quam modo meminimus Bamenda, in eaque cathedralm Praesul ponet suaे auctoritatis, in templo videlicet maiore ibi exstante. Dioecesis autem Bamendana suffraganea erit archidioecesi Yaundensi, sic ut eius Episcopus Archiepiscopo illius erit suffraganeus ad iuris normam. Item censemus ut pro Canonicis Consultores dioecesani deligantur, qui Episcopo assint consilio, opera, dum Canonicorum Collegium condatur. Cetera omnia vero, quae novae circumscriptionis administrationem, seu emus clerum vel cives respiciant, item electionem Vicarii Capitularis, sede vacante, atque similia iure Canonico ad amussim temperentur. Volumus postremo ut haec quae mandavimus venerabilis Frater Ernestus Gallina, quem modo memoravimus, ad exitum deducat, vel quem ille delegaverit, factis nempe facultatibus necessariis. Ceterum, re acta, documenta exarentur, quorum exempla sincere conscripta ad Sacram Congregationem pro Gentium Evangelizatione seu De Propaganda Fide cito mittantur. Hanc vero Constitutionem nunc et in posterum efficacem esse et fore volumus; ita quidem ut quae per eam decreta sunt ab iis quorum res est religiose serventur, atque igitur vim suam obtineant. Cuius Constitutionis efficacitati nulla, cuiusvis generis, contraria praescripta officere poterunt, cum per eam iisdem derogemus omnibus. Nemini praeterea haec voluntatis Nostrae documenta vel scindere vel corrumpere liceat; quin immo huius Constitutionis exemplis et locis, sive typis impressis sive manu exaratis, quae sigillum viri praeferant in ecclesiastica dignitate constituti simulque ab aliquo publico tabellione sint subscripta, eadem omnino habenda erit fides, quae huic haberetur, si ostenderetur. *Datum ex Arce Gandolfi, prope Romam, die tertio decimo mensis augusti, anno Domini millesimo nonagesimo septuagesimo, Pontificatus Nostri octavo.*

ALOISIUS Card. TRAGLIA

S. R. E. Cancellarius

GREGORIUS P. Card. AGAGIANIAN

S. Congr. pro Gentium Evangelizatione sea de Propaganda Fide Praefectus

Franciscus Tinello

*Apostolicam Cancellariam Regens Iosephus Del Ton, Protonot. Apost.*

*Eugenius Sevi, Protonot.*

---

*Apost.*

\*A.A.S., vol. LXIII (1971), n. 3, pp. 200-201 © Copyright 1970 - Libreria Editrice Vaticana

---

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana